

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 5024

**Auteur(s) :** Lucius II [pape]

**Bénéficiaire(s) :** Raoul, La Hoguette, Saint-André-en-Gouffern (abbé)

**Genre d'acte :** bulle

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1144, 5 décembre

**Lieu d'émission :** Latran

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Le pape Lucius [II] prend l'abbaye Notre-Dame et Saint-André de Vignats sous sa protection et confirme les biens et les droits sur la dîme de ladite abbaye.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Ramackers Johannes, *Papsturkunden in Frankreich*, Neue Folge 2 Normandie, Göttingen, Vandenhoeck & Ruprecht (Abhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen. Philologisch-historische Klasse, 21), 1937, 2 vol., n° 26, p. 89-91.

### Indications

Jaffé Philippe, Wattenbach Wilhelm, *Regesta pontificum Romanorum ab condita ecclesia ad annum post Christum natum MCXCVIII* 2e éd., Leipzig, Veit, 1885-1888, 2 vol., n° 8675, t. 2, p. 17.

Texte établi d'après a

[LVCIVS EPISCOPVS] SERVVS SERVORVM DEI. DILECTIS FILIIS RADVLFO ABBATI SANCTÆ MARIE ET SANCTI ANDREÆ DE VINAZ EIVSQVE FRATRIBVS TAM PRESENTIBVS QVAM FVTVRIS REGVLAREM VITAM PROFESSIS IN PERPETVVM. [Desideriu]m, quod ad religionis propositum et animarum salutem pertinere monstratur, animo nos decet libenti concedere et potentium desideriis congruum impertiri suffragium. Eapropter, [dilecti] in domino filii, uestris iustis postulationibus clementer annuimus et prefatum monasterium, in quo diuino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suspicimus [et] presentis scripti priuilegio communimus. Statuentes, ut quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium in presentiarum iuste et canonice possidet aut in futurum concessionem pontificum, largitione regum uel principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis Deo propitio poterit adipisci, firma uobis uestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda uocabulis: ex dono Willelmi comitis Pontui nemus, ubi ipsum monasterium situm est, et totum dominium suum de Croceio et [m]olendinum de Magna Uilla cum appendiciis suis et molendinum de Monte Gomerici cum LX acris terre et apud Bernacum XV libras denariorum et totum dominium suum de Monte Warout et molendinum de Uado Petroso et in foresta sua de Almaneschis mairramentum ad totam edificationem ecclesie sufficientem et in omnibus forestis suis pasnagium et in tota terra sua quietantiam omnium consuetudinum, ex dono Roberti Caisnel et filiorum suorum LX acras terre apud Fraisneum, ex dono Roberti de Sicca Quercu V acras terre, ex dono Roberti Bordet et Willelmi de Neirs terram apud Neirs, ex dono Willelmi Tanetin et Roberti de Breteuilla terram de Rueta, ex dono Roberti Rabel

terram apud Breteuillam, ex dono Hugonis Pantulfi et Willelmi fratris sui terram de Samaella et terram de Uirgulto Isembardi, ex dono Fulconis de Alnou locum de Calido Monte cum appendiciis suis, ex dono Roberti Maleherbe locum sancti Albini cum appendiciis suis, ex dono regis Henrici quietantiam omnium consuetudinum per totam terram suam, ex dono Willelmi Pointel et Roberti filii sui terram apud pontem Viæ, ex dono Rainaldi de Bailluel pratum apud pontem Uiae, ex dono Roberti Sansonis terram apud Fraisneiuetus, ex dono Roberti de Raueton pratum de Seirans, ex dono Thomæ et Agnetis matris suæ sedem exclusæ molendini de Uado Petroso cum tribus acris terre, ex dono filiorum Gisleberti sacerdotis terram apud Breuillam, ex dono Radulfi Gothoni et filiorum eius terram apud Renerii Magnil, ex dono Roberti filii Bernardi terram cum prato apud Perditam Uillam, ex dono Roberti Gargassaliæ et Radulfi fratris sui terram et pratum ibidem, ex dono Guiburgis terram ad IIII or carrucas, duas ad Guiburgiullam et duas apud Bellam Siluam. Preterea de laboribus, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, seu de nutrientis uestrorum animalium a quolibet clero siue laico decimas a uobis exigi prohibemus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat idem monasterium temere perturbare aut eius possessiones auferre uel ablatas retinere, minuere uel temerariis uestigationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur eorum, pro quorum sustentatione et gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salua apostolice sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisue persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere uenire temptauerit, secundo tertio commonita, si non satisfactione congrua emendauerit, potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se diuino iudicio existere de perpetrata [ini]quitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districtæ ultioni subiaceat. Cunctis autem [eidem] loco iusta seruantibus sit pax domini nostri Iesu Christi, quatinus et hic fructum bonæ actionis percipient et apud districtum iudicem premia eterne pacis inueniant. AMEN.

R. Ego Lucius catholicæ ecclesiæ episcopus ss. BV.

† Ego Conradus Sabinensis episcopus ss.

† Ego Petrus Albanensis episcopus ss.

[† Ego Gre]gorius presb. card. tit. Calixti ss.

[† Ego Rai]nerius presb. card. tit. sanctæ Priscæ ss.

[† Ego] Guido presb. card. tit. sanctorum Laurentii et Damasi ss.

† Ego Gregorius diac. card. sanctorum Sergii et Bachi ss.

† Ego Guido diac. card. sanctorum Cosme et Damiani ss.

† Ego Gregorius diac. card. sancti Angeli ss.

Dat. Lat. per manum BARONIS sancte Romanæ ecclesiæ subdiaconi non. dec., indictione VIII, incarnationis dominice anno M°.C°.XL°.III°, pontificatus uero domni Lvcii II pape anno primo.